



1567

1893

o-XVII, 291.

1544

17

# CAPITA DI

SPVTATIONIS DE ECCLE-

SIA, IVSTITIA, FIDE AC

MINISTERIO ELVS,

EX IESAIA,

*proposita à*


## D. BERNARDO

ZIGLERO

L I P S I A E

Anno M. D. XLIIII.

*die IIII. Aprilis.*



EX OFFICINA  
VALENTINI PAPAE.

F 20

LIBRARY

UNIVERSITY OF

LEIPZIG

DEPARTMENT OF

LIBRARIES

LEIPZIG

LIBRARY

UNIVERSITY OF

LEIPZIG

DEPARTMENT OF

LIBRARIES

LEIPZIG

LIBRARY

UNIVERSITY OF

LEIPZIG

DEPARTMENT OF

LIBRARIES

LEIPZIG

LIBRARY

UNIVERSITY OF

LEIPZIG

DEPARTMENT OF

LIBRARIES

LEIPZIG

LIBRARY

UNIVERSITY OF

LEIPZIG

DEPARTMENT OF

LIBRARIES

LEIPZIG



AD DIEM QVARTVM APRILIS, PRAESIDENTE SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE BERNARDO ZIGLERO, proponetur ad disputandum locus Iesaiæ ex capite XXVI. secundum quasdam sententias illius certo numero Thematum comprehensas, ut sequitur.

IESAIAE XXVI.



**I**N die illa cantabitur canticum nouum in terra Iuda, Est nobis ciuitas firma, salutem posuit (Deus) muros & copias (eius) Aperite portas et ingredietur gens iusta, custodiens fidem. Cogitatio suffulta (hoc est firma & immota, scilicet quod) serua- bis pacem, pacem. Quia in te speratur. Sperate in Domino in æternum, quia in יהוה Deo est pe- tra æterna.

THEMATA.

I

**L**Vculenta descriptio est Ecclesiæ Dei, & promissio quæ testatur mansuram esse Dei Ecclesiam etiam ruentibus imperijs. Hac conso- latione & tunc Propheta ipse, & alij pij se su- stentabant, & nos in tantis tumultibus regno- rum confirmemus nos, ne fracti desperatione stu- dium docendi & discendi Euangelij abijcia-

mus. Ideo sic orditur Propheta. In die illa cantabitur canticum nouum in terra Iuda. Id est hoc canticum, hanc consolationem teneamus, mansuram esse Ecclesiam Dei.

II

Qualis autem coetus est? est ciuitas firma, cuius muri sunt salus, in quam apertis portis ingreditur gens iusta, custodiens fidem. Hæc definitio dextre intellecta recte describit Ecclesiam, & conuenit cum dicto psalmi. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Estque sententia: Ecclesia est coetus, quem Deus seruat, uocatus prædicatione Euangelij, iustus ac placens Deo, custodiens fidem, id est assensum quo amplectitur uerbum Dei, hoc est, uere credens, esse Deum, esse ei curæ genus humanum, dedisse eum promissiones, & has seruare, & hac fide inuocandum esse &c.

III

In hac definitione tantum ponuntur renati, sicut Ephes. 5. Ecclesiam non habentem maculam. Nam spiritus sanctus loquitur de uiuis membris.

IIII

Et tamen hæc ipsa renatorum Ecclesia nusquam collocanda est, nisi in Ecclesia uisibili uocatorum, iuxta illud Pauli: Quos elegit, hos & uocauit.

V

Quoties de Ecclesia cogitamus ueniat in mentem huius Paulinæ uocis: Quos elegit, hoc uocauit.

uit. Nulli sunt electi nisi in coetu uocatorum.  
Sunt autem uocati audientes, discentes, & pro=  
fitentes puram Euangelij doctrinam. Nulla ex  
tra hunc coetum electio, nulla illuminatio fin=  
gatur. Sed sciamus in hoc coetu uocatorum sem=  
per aliquos esse electos. Hæc magna pijs conso=  
latio est, & eos inuitat ut se ad hunc coetum uo  
icatorum adiungāt, hunc foueant, cum hoc Deū  
inuocent.

VI

Multæ traduntur distinctiones de Ecclesia,  
obscuræ & interdum tanquam Ideam Platoni=  
cam describentes, Sed pium et uerum est, unam  
dici Ecclesiam coetum uocatorum uisibilem. In  
quo etiamsi magna turba est non renatorum,  
tamen in hoc solo coetu sunt renati, & hæredes  
uitæ æternæ.

VII

Etsi quæerunt uiri Politici Ecclesiam simile  
imperijs mundi, quæ habet unum aliquem prin=  
cipem uisibilem, instructum potentia & præ=  
sidijs, & legibus ac ritibus distinguentem suum  
coetum à cæteris regnis, ut imperium Pontifi=  
cium ad hanc humanorū imperiorum formam  
constitutum est, tamen Ecclesia uisibilis, seu uo=  
icatorum est dissimilis imperijs mundi. Habet æ=  
put Christum, & colligata est uoce & confessio=  
ne Euangelij, et cum sit sine humanis præsi=  
dijs, mirabiliter seruatur à Deo omnibus ætatibus.  
Sic in Iesaiâ dicitur capit. 46. Qui gestamini in

utero meo. Senescentem Ecclesiam ego portabo, Ego feci, ego gestabo, ego saluabo. Et ap. 51. Posui uerba mea in ore tuo, & umbra manus meae protexi te, ut plantes caelos &c. Hic quoque deducit nos Iesaias ad Ecclesiam uisibilem, in qua sonat uox Euangelij. Ideo dicit posui uerba mea in ore tuo. Et hanc diuinitus defendi inquit.

### VIII

Idem uult Iesaias in hoc capite 26. Ecclesia est ciuitas firma, cuius muri sunt salus, id est quam filius Dei colligit, seruat, defendit, liberat, resuscitat ex morte.

### IX

Itaq; cum angimur animis & quaerimus ubi Ecclesia Dei mansura sit, cum uidemus imperiorum ruinas, principum distractiones, & uarias confusiones rerum humanarum, respiciamus ad haec dicta: In aluo Dei erit Ecclesia. Certo mansura est, & Deo curae erit, ubicunque erit. Sic non solum de uniuerso corpore cogitandum est, sed singuli nobis in omnibus periculis, & in ipsa morte hanc consolationem proponamus. Expelleris ex patria, discedis ex uita? Quonam? Cogita te gestari in aluo Dei, cogita hoc dictum Iesiae: Muros Ecclesiae salutem esse. Aderit filius Dei qui est caput Ecclesiae, & in uocantem seruabit, sicut scriptum est: Oues meae uocem meam audiunt, & ego uitam aeternam

nam



nam do eis. Nemo rapiet eas de manu mea.

X

Additum est in definitione Ecclesiae, coetum esse, qui ingreditur apertis portis, iustum custodientem fidem. Hæc differentia planè discernit hunc coetum ab omnib. imperijs et politijs mundi. Attica ciuitas seu Romana, coetus est deum etus legibus ad certa officia ciuilia, sed non est iustus coetus, id est placens Deo, & custodiens fidem scilicet erga Deum.

XI

Breuis est descriptio, ut sunt membra in Prophetis, sed plura loca conferenda sunt. Vocat iustam gentem quæ custodit fidem, scilicet erga Deum. Non enim loquitur Propheta de fide, aut ueritate tantum ut homines prophani loquuntur, intelligentes fidem seu ueritatem, uirtutem seruantem pacta inter homines. Sed de Dei agnitione & inuocatione hîc dicitur, sicut postea clare addit: In te speratur seu confiditur. Sperate seu confidite in Domino.

XII

Est ergo iustitia, custodire fidem erga Deum, id est agnoscere & statuere quòd sit DEVS, quòd se patefecerit, dederit promissiones de filio, quòd iuxta has promissiones uelit exaudire & saluare. Hæc fides est fiducia misericordiae propter Christum promissæ, de qua Paulus conuocatur, cum toties ait iustificari nos fide.

## XIII

Congruit ergo Iesaiæ dictum cum Pauli doctrina, Ecclesiam esse iustam, id est, acceptam Deo ad uitam æternam fide, id est fiducia misericordie propter Christum promissæ. Estq; uera propositio, Iustificamur fide, id est fiducia mediatoris Christi, non propter opera nostra aut dignitatem nostram.

## XIIII

Hanc fidem textus ipse definit. Fides est cogitatio firma statuens de Deo, dare eum pacẽ, id est reconciliationem, nec effundere ingentẽ iram aduersus nos, sed parcere nobis propter filium & dare salutem.

## XV

Hæc fides non tantum notitia est in intellectu, ut uocant, sed etiam est fiducia in uoluntate, nitens proposito mediatore, per quem pax restituta est. Et est firmus assensus, uincens Epicureas tentationes, & legis iudicium accusans nos propter nostram indignitatem. Et si uident suos lapsus ingentes Adam, Aaron, Dauid, Manasse, Petrus & similes, tamen erigunt se promissione donatæ, remissionis peccatorum, & statuunt se placere DEO propter mediatorem, quanquam horribiliter lapsi sint, et tenent regulam æternam & immotam. Gratia exuberat supra delictum. In hac consolatione cum fides ex magnis dubitationibus eluctatur, satis intelligi

telligi potest, cur Propheta dixerit cogitationem firmam esse.

XVI

Hæc fides luceat in inuocatione, spe, dilectione & alijs suis exercitijs. Ac ne intelligi quidem potest quid dicatur nisi accedant exercitia inuocationis.

XVII

Cum autem sola Ecclesia sit populus inuocans Deum, cæteri enim homines omnes aberrant à Deo, docenda est Ecclesia de hac fide, nam sine ea nulla fit uera aut salutaris inuocatio Dei.

XVIII

Horrendas igitur tenebras stabiliunt multi qui hanc doctrinam de fide oppugnant, & docent semper dubitandum esse an simus in gratia. Hæc dubitatio est fugere Deum, non inuocare. Sic inuocabat Saul, sed corde fugiente Deum. Sic inuocant Ethnici, quos si interrogas quid agant, an existiment se exaudiri, dicent profectò suos animos planè oppressos esse dubitatione. Sicut sæpe in tragœdijs tales uoces erumpunt calamitosi.

XIX

Hinc sunt & tenebræ in enarratione prophetarum, quòd dicta de fide & inuocatione uera non intelligantur ab illis interpretibus, qui obruta hac parte doctrinæ de promissione & fide, tantum putant cõcionari prophetas de disciplina, ut Hesiodum aut Theognidem, & doctrinam Ecclesiæ tantum putant legem esse.

## XX

Hi errores taxandi sunt ut illustrentur in-  
gentia beneficia donata nobis per filium Dei,  
& uere celebretur filius Dei, & fiat uera inuo-  
catio, & discernatur ab Ethnica inuocatione, de-  
niq; ut uerum discrimen conspiciatur, Ecclesie  
Dei & aliorum coetuum.

## XXI

Meminerint ergo omnes studiosi perpetuo,  
hanc eruditam definitionem fidei hoc loco in te-  
xtu Esaie cap. 26. traditam. Fides est firma co-  
gitatio statuens Deum dare pacem, scilicet pro-  
pter filium promissum, & accendens fiduciam,  
ut hic dicitur, ut confidamus Domino. Congru-  
it autem haec definitio cu dictis Pauli. Fides est  
motus, quo statuimus nobis remitti peccata pro-  
pter mediatorem, & accedimus ad Deum &  
clamamus Abba Pater. Haec definitio traditur  
Roman. 5. Iustificati fide pacem habemus erga  
Deum per DOMINUM NOSTRUM IE-  
SUM CHRISTUM, per quem habemus acces-  
sum &c. Et Rom. 8. Accepistis spiritum ado-  
ptionis filiorum, quo clamamus Abba Pater. Et  
Eph. 3. Per quem audemus accedere in fiducia.  
Et Ebr. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum  
gratie.

## XXII

Etsi cum hac fide accipiente remissionē sem-  
per coniunctae sunt aliae uirtutes, dilectio &  
spes,

Spes, tamen ideo dicitur. Fide iustificamur, ut intelligamus nos non propter nostras uirtutes sed propter filium Dei recipi à Deo.

XXIII

Interim prodest teneri differentias & definitiones harum uirtutum. Fides est adsentiri omni uerbo Dei & promissioni gratiae, & confidere nos iuxta promissionem à Deo recipi & exaudiri. Spes est expectatio futurae liberationis. Differunt perspicue fides & spes, eò quòd fide agnoscimus uerbum Dei, et accipimus praesens beneficium, scilicet remissionem peccatorum. At spe expectamus futuram integram liberationem. Quòd igitur auillantur aliqui fiduciam esse actum spei, plane respondeo, fiducia praesentis reconciliationis esse actum fidei. Sed fiduciam expectantem futuram liberationem esse actum spei. Dilectionem Ioan. definit in Epistola. cap. 5. Haec est dilectio Dei, ut mandata eius seruemus. Est igitur dilectio Dei, seruare mandata eius cum quadam leticia, quae oritur ex agnitione misericordiae, beneficiorum et praesentiae Dei curantis & recipientis nos propter filium. Propter hunc Ioannis locum scolastici doctores de dilectione, ut Philosophi de iustitia uniuersali locuti sunt. Sed haec iusticia dilectionis etsi hic inchoanda est, tamen adhuc ualde imbecilla & exigua est, ideo oportet consolationem illam alteram proponi, quòd fide propter  
filium

filium Dei placeamus, sicut Gal. 5. dicitur. Nos spiritu ex fide, spem iustitiæ expectamus. Item nulla nunc condemnatio q. d. etsi nondum sumus sine peccato, tamen nulla condemnatio est ambulanti-  
bus in CHRISTO IESU.

XXIII

Hæc doctrina uera est, pia & utilis Ecclesiæ, sed quia ab ociosis & non exercentibus inuocationem in ueris doloribus, non intelligitur, ideo multi reclamant.

XXV

Ecclesia intelligit cur subiecta sit cruci, & agnoscit iram Dei aduersus peccata, & clamat cum Iesaiâ: Iniquitates nostræ ut uenti dissipauerunt nos, qua uoce quid significetur melius intelliges si iam Hungariæ dissipationes aspicias, aut miserandas Ecclesiarum dilacerationes. Moueamur ergo nostris & communibus miseris, & discamus ueram inuocationem, & petamus fiducia filij Dei remissionem peccatorum & faciamus fructus dignos pœnitentiæ. Hæc si faciemus, hæc doctrina & illustrior erit & dulcior.

XXVI

Cum Iesaias nominat fidem, item definit, fidem esse cogitationem firmam, certe requirit prædicationem uerbi Dei, seu ministerium Euangelij. Nam fides ex auditu est, ut Paulus inquit. Ideo iubet in textu aperiri portas, id est, ministerium Euangelij exerceri & hic locus  
rursus

rursus admonet, quod supra dictum est Eccle-  
siam iustorum oportere collocari in hac uisibili  
Ecclesia uocatorum, in qua pura uox Euange-  
lij sonat, & non defenduntur pertinaciter er-  
rores pugnantes cum Euangelio.

XXVII

Commendatur etiam nobis ministerij Euan-  
gelici efficacia & dignitas. Tantum per ministe-  
rium Euangelicum Deus est efficax, iuxta illud:  
Euangelium est potentia Dei ad salutem omni  
credenti. Damnemus ergo furores Anabaptisti-  
cos qui ministerium damnant, & quærunt no-  
uos adflatus suis speculationibus. Veneremur  
etiam maiore studio & adiuuemus ministerium  
in Ecclesijs & scolis, & sciamus hoc officium  
Deo gratum esse & Deum propter ministeriũ  
aliquas politias seruaturum esse.

❁ APPENDIX PII

EXERCITII IN OBSERVAN

da scripturæ sacre proprietate.

De nomine Dei יהוה.

I

**H**Oc nomen Dei in Prophetis scripturis  
ubique tribuitur filio Dei in plenitudine  
temporum incarnando. Est enim ex יהוה reie  
ctis posterioribus duabus literis, quod & Felix  
indicauit psalm. LXVIII. CHRISTVS enim ad Phi-  
cum lip. 2.

cum esset in forma Dei non rapinam arbitra-  
tus est, se esse æqualem Deo, sed semetipsum  
exinaniuit formam serui accipiens in similitudi-  
ne hominum, factus & habitu inuentus est ut  
homo, humiliavit semetipsum, factus obediens  
usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quo lo-  
co sine dubio respexit D. Paulus ad psalm. 8. Et  
diminuisti eum paululum à Deo. Hanc exinani-  
tionem seu diminutionem uoluerunt prophete  
significare abbreviatione nominis יהרה.

II

Sed ne quis cum Arrianis ex hac abbrevia-  
tione nominis Dei יהרה inferre posset filium  
Dei esse minorem patre, additur hoc Iesaiæ lo-  
co nomen Dei יהרה. Id quod in alijs etiam mul-  
tis locis obseruatur, ut significetur, quod filius  
Dei propter assumptam humanam natu-  
ram non sit passus diuinitatis dimi-  
nutionem ut in Ecclesia  
canitur.

F

I N I

S.



9  
193469

ULB Halle 3  
004 396 014




Sp.

MC







Farbkarte #13

B.I.G.

1544  
17  
CAPITA DI  
VTATIONIS DE ECCLE  
IA, IYSTITIA, FIDE AC  
MINISTERIO ELVS,  
EX IESALIA,  
*proposita à*

D. BERNARDO  
ZIGLERO

LIPSIÆ

Anno M. D. XLIIII.  
*die IIII. Aprilis.*



EX OFFICINA  
VALENTINI PAPAE.

F 20

